

*Guglielmo Ruffo fa transuntare una
lettera patente di Carlo l'Illustre*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo fa transuntare una
lettera patente di Carlo l'Illustre*

1323-07-12

In nomine Domini Dei Eterni, et Salvatoris nostri Iesu Christi, Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo tertio, Regnante Domino nostro Roberto Dei gratia inclito Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Forcalquerii, et Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno quintodecimo feliciter amen. Mense Iulii, die duodecimo eiusdem sexte inditionis, Capue.

Nos Robertus de Guidono dicte terre Campane Annalis Iudex, Simeon Magnatus publicus eiusdem Terre Regia autoritate Notarius et subscripti testes de eadem terra, videlicet Magister Franciscus de Cinamo, notarius Tomasius de Cava, Iudex Simeon de Daniele, Iudex Robertus Campanus, Notarius Bartholomeus de Iannino, Gulielmus Bistandus, notarius Gualterius de Iudice Andrea de Civitate Penne, et Notarius Iacobbus de Cava viri litterati ad hoc specialiter notati, et rogati, presenti scripto publico declaramus, notum facimus, et testamur quod constitutus in nostra praesentia nobilis, et egregius Vir Dominus Gulielmus Ruffus de Sinopulo Miles Ducalis Cambellanus, et familiaris, ac Regius Iustitiarius Principatus Citra, Terras Montorii, ostendit, presentavit, et exhibuit coram nobis, et publice legi fecit quasdam Patetens Ducales Literas pendenti Vicarie Sigillo magno quo utitur Cere rubee sigillatas, non cancellatas, non abolitas, non abrasas nec aliqua sui parte suspectas, aut vitiosas, omnique prorsus vitio, et suspicionem carentes, quas vidimus, legimus, et diligenter inspeximus, erantque per omnium continentie subnotate. Et quia dictus Dominus Gulielmus Iustitiarius sua interesse dicebat habere predictas Ducales Literas autenticas, et in publica formam redactas, consensiens

pariter in nos predictos Iudicem, Notarium et testes, ut in suos, cum sciret ex certa eius scientia nos suos Iudices, Notarium et testes in hac partem non esse, Iudiciali autoritate nos requisivit et rogavit attentim, ut ipsas Literas Ducales exemplatas transcribi autentica, et in publicam formam redigere deberemus nostrumque super hoc Officium implorando. Cuius petitionibus annuentes, et tamquam consentanee rationi predictas Ducales Literas ad requisitionem, et instantiam dicti Domini Gulielmi Ruffi exemplamus, transferimus, autenticamus, et in publica forma redigimus de verbo ad verbum, ut ipse originales Litere continentur. Nihil in eis vel exinde mutato, addito, seu subtracto, sed facta diligenti collatione in nostra presentia de dictis Ducalibus Literis ad ipsarum tenorem in presenti publico Instrumento quo scripto ipsi tenor, et Litere in omnibus, et per omnia sunt concordantes.

In cuius rei testiomium, et dicti Domini Gulielmi Iustitiarii, et omnium quorum interest, vel interesse poterit cautelam ad ipsorum petitionem, et rogatum, presens sibi exinde publicum confectum est instrumentum per manus mei predicti notarii signo meo solito signatum subscriptione sigilloque mei qui supra Iudicis, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi ego predictus Simon publicus dicte Terre Notarius qui premissis omnibus rogatus interfui, et meo signo solito signavi. † Ego qui supra Robertus Iudex. † Ego Magister Franciscus de Cinamo testis interfui. † Ego predictus Notarius Tomasus de Cava testis sum. † Ego Iudex Simon de Daniele testis sum et interfui. † Ego Iudex Robertus testis sum et interfui. † Ego notarius Bartholomeus de Iannino testis sum. † Ego

Gulielmus Bistandus testis sum. † Ego qui supra Notarius
Gualterius de Civitate Penne testis sum. † Ego praedictus
Iacobbus de Cava testis sum et interfui.